

ipsa aqua feriebat parietes longe de ipsa corpora pedes 5: quod plures nostri sacerdotes viderunt. Ego autem cum Dei misericordia reedificavi eam a fundamentis in altitudinem et longitudinem, ubi iam impetus maris accedere numquam potest, et super ipsa corpora feci arcus volutiles et super ipsos alios arcus volutiles, et feci ibi altare in honorem S. Felicis et Fortunati paratum cum auro et argento; et ante ipsa corpora subtus [edificavi] similiter altare paratum cum auro et argento, et desuper capsam, quae empta fuit in Constantinopoli lib. XV; et super ipso arcu volutili, qui est super altare S. Felicis et Fortunati, edificavi altaria IV, S. Ceciliae, S. Eugeniae, S. Agneti, et sanctae Felicitati; et post corpora beatissimorum martyrum in illa absida edificavi altare sanctae Luciae. Laus Deo omnipotenti. Ista altaria de palliis et linteaminibus honorifice cooperata sunt, et dedi ibi patenas et calices de argento, et unum casale in Pencircus cum vineis, et terris, et olivetis, quem ego emi de filiis Badoario; et, non recordo, aut unum aut duos casales, qui pertinent de iure sanctae ecclesiae nostrae; et dedi ibi argentum lib. X in manum Agaocor episcopo, et omnem consuetudinem de sancta ecclesia sic prendat, sicut archipresbyter aut archidiaconus: et dedi ibi unam casam, prope ipsa ecclesia, quam emi de hominibus de Bevaziano. De ecclesia autem S. Peregrini, quam Gradisiani in illorum peccato fundamenta everterunt pro timore Francorum, nos, Deo jubente, a fundamentis reedificavimus eam; scolas, mansiones et porticus in honore edificavimus. Ecclesia autem S. Joannis maior tota erat inusta, et scola in ruinis posita, quia et ego, nec alii introire [potuimus], ubi et ante habuit traves 18: ego autem feci venire magistros de Francias, misi ibi traves XXX (*Desunt hic multa*).

Monasterio sanctae Dei genitricis Mariae in insula Barbino dedi argenti lib. 30, navem cum omni armatura sua, grani media centum; misimus ibi presbyteros et clericos, qui ibi Dominum coeli quotidianie laudant. Monasterium sancti Iuliani in insula, quod in ruinis positum erat, edificavimus; misimus ibi presbyteros, et dedi illi argenti